Bibliothèque numérique

medic@

Fagotin, Guillaume - candidat / Prunier, Antoine - président. - An Lienteriae et Diabetae eadem Curatio ?

1569.
[Paris]
Cote : ms 72 n°61

PARIS biu Santé

(c) Bibliothèque interuniversitaire de santé (Paris)
Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms00072_ms00080x01x0061

Quaestio Medica,

Cardinalitiis exagitanda disputationibus In Scholis Medicorum die Jovis 15a septembr.

ornatiss. viro D. Antonio Prunier D. Medico moderatore sapientissimo. 61

An Lienteriae et Diabetae eadem Curatio?

Leienteria (quam praecedit Coeliaca, et vomitum nausea) velox exitus eorum quae comeduntur, quae quidem nulla alteratione facta talia dejiciuntur, qualia devorata fuere, ventriculi et intestinorum est affectus proprius. Cujus causa est imbecillitas eorumdem retentricis ob intemperiem frigidam: vel irritatio expultricis. Quam brevem exercitandi habent intestina, ut sicuti villos transfudere tantum, aliter carnosa quam ventriculus, et oesophagus. Oritur etiam Lienteria ab humorum mordacitate in superficie ventriculi, et intestinorum, velut ulceris commetente: unde irritatur expultrix: quomodo in vesica stranguria et in ano tenesmus excitatur. Oritur denique a pituitae salsae frigidissimae copia: Diarrhoeam interdum sequitur atque dysenteriam.

Haec tamen intestinorum levitas, a Coeliaca et Diarrhoea distincta, longiori si tempore perseveret in dysenteriam commutatur, ac autumno frequentius quam aliis anni temporibus homines, et hos senes, quam juvenes prehendit. Quibus si ab exulceratione nascitur, dejectiones superveniunt non absque ventris doloribus, qui cum profundi, sublimioribus funestiores dicuntur. A quacunque autem causa orta sit Lienteria, aegri cibum non sentiunt: unde totum corpus attenuatur, et in cachexiam, cui succedit atrophia, incidunt. Quod utcunque malum corrigi non potest. hic item adest spirandi difficultas, et lateris punctura, tantaque cruditas, ut alimenti assumpti genus ~~aperte~~ dignoscatur.

Renes quorum vi urina a sanguine segregatur, atque illinc per ureteres ad vesicam percolatur, inde excernitur, cum statio ipsa suffecit, varios sustinent affectus, et quorum numero est diabetes, quo subitus fit totius potionis cum urina prolapsus. hic a Lienteria differt quod (non quemadmodum Epilepsia et apoplexia sedibus secluduntur diversis) illae enim venarum, non autem vesicas, proprius est affectus: qui ob varia ipsorum vitia oritur, nimirum ob retentricis eorumdem summam imbecillitatem, et propter attractricis robur: quarum functionem noxam excitat calida illorum intemperies: vel humor biliosus, acer, salsus ipsi venarum substantiae impactus: vel denique tenuium quoddam dolorum.

Quae omnia sitim ingentem movent, ob quam aegri assidue bibunt, nec potu sedatur. nec vero id solum quod bibitur protinus excernitur (ut cibus a Lienterico rejectus) sed humor etiam copiosus, a venibus colliquato corpore attractus: in eoque diabetes proprie consistit. ob quem summa totius corporis macies, et copiosior multo, quam fit potus, urina redditur. quae naturali modo se habens, quantitate potui respondere debet, et tempore convenienti excerni, sicut alia excrementa. quae non omnia a natura alterationem suscipiunt. Siquidem nec omnis cibus in cujusque animalis ventre concoquitur. vesicae denique diabete laborantibus vix videntur: anxii sunt, et animo dubii: igne amplius ardere se putant, et paulo post moriuntur. Et cum parumper urinam retinent, intumescunt lumbi, testes, et coxae.

Curatio (quae non tantum naturae, sed artis etiam est opus) quoniam morbis debetur, a quibus indicatur: et quot morborum differentias in idiosyncrasia, indolis, velut impressas propter innumeras, tot sunt medendi differentiae indicandae: Lienteria igitur et Diabetes causa, loco, et symptomatis dictis quia plurimum differunt, aliam atque aliam curationem recipiunt. Nam in Lienteria purgatione ex hiera simplici vel rhabarbaro utendum est. a purgatione (neque prius) aegris conveniunt astringentia admota et assumpta etiam frigidae qualitatis, vel calidae nata. Nec minus coda quae urinam ciunt, apium, anisum, foeniculum. Neque contemnendi etiam vomitus (qui vino nigro et austero excitari possunt) tum a coena, tum ventre jejuno. In Diabete contra aegri ab omnibus diureticis abstinere debent. Quibus maxime utilis sanguinariae succus, et radicis symphyti cujusque decoctum. Item trochisci per os sumendi, qui ex spodio, balaust. terra sigillata vera in aqua absynthii dissolvuntur. principio denique Diabetes venae sectio prodest, quae in Lienteria non ita est salutaris.

Ergo Lienteriae, et Diabetae non eadem curatio.

Asserebat Guillelmus Fagotin Calvimontanus. 1569.

U.M.P.